

05

A

2095









א.  
"   
:שש

DISSERTATIO PHILOLOGICA

De

TERAPHIM,

SIVE

IDOLIS LABANI,

quæ Rachel suffurata

legitur Gen. cap. XXXI.

Quam

D. T. O. M. A.

In Incluta ad Albim Academia

PRÆSIDE

M. AUGUSTO Pfeiffer

Lawenburgo Saxone, h. t. Fac. Philos.

Adjuncto,

Publicæ συμφιλολογούντων censura  
ante hac exposuit

ERNESTUS EBALDUS HERSENIUS,

Neohufanus Lawenburgicus,

Anno S. M DC LXIII. d. VII. Martii.

REVISA & SECUNDUM EDITA

Anno S. M DC LXV.

---

WITTEBERGÆ,

Literis MICHAELIS Wendt.



VIRO PRÆCLARISSIMO

DN. M. JOHANNI  
BOHEMO,

Poëtæ Cæsareo & Philologo  
celebratissimo, Lycei Dresdensis  
RECTORI meritissimo,

*Fautori suo certissimo,*

Recognitam hanc Dissertationem  
Philologicam,

*Ex sincero affectu*

D. D. D.

M. Augustus Pfeiffer/  
Fac. Phil. Adjunctus.



05 A 2095





11  
בג



*Q*uod illi faciunt, qui homini furioso eripiunt gladium vel cultrum, à quo ipsi presentissimum vitæ immineret periculum, id præstitisse videtur Patriarchalis illa anima Rachel, dum Patri Idololatæ idololatriæ surripuit materiam. Hac scilicet ratione eundem cohibere conata est, ne se in æternum præcipitaret exitium. De isto Labanis idolo atq; Rachelis consilio non abs re esse videtur si plura in medium producimus & dissidentes variorum authorum opiniones pro ingenij nostri modulo, eâ quæ decet & par est modestia, examinemus. Optimis autem conatibus felix respondeat eventus, faxit summus JEHOVA!

THESES. I.

**C**um verò nomina sint rerum ὀνόματα, à præsentia tractatione nostra alienum non videtur, si priusquam rem ipsam & quod dicitur, causæ ἀπεργωλίω aggrediamur, ipsum nomen lustremus. Labani proinde Idola in sacris literis non semel dicuntur תְּרָפִים TERAPHIM. Circa quam vocem, ut omnes expleamus bonæ tractationis numeros, primò considerabimus *Originationem*, deinde *significationem* ἀνεβέση εἶναι investigabimus. Ubi illorum sententia initio nobis non admodum arridet, qui TERAPHIM deducunt à rad. תָּרַם, sanavit, medicatus est, quod morbos profligârint, velut Æsculapius; unde & conferre solent Græcum ἰεργπνευω, sanare: Verùm ultima radicalis N in deductis nominibus ex analogia Grammatica abjici non solet. Ex Ebræis nonnulli vocem derivant à rad. תָּרַם remissus fuit, desit, sed non eandem suppeditant Etymii rationem. Quidam enim inde sic dici volunt hæc idola, quod avocârint cultores suos à sœtis laboribus & sic remissas reddiderint manus eorum. Ita Zohar



In Genesis col. 376. אֲרֵי יוֹסֵי מֵאֵן תְּרַפִּים אֵלֶּיךָ עַל הוּהוּ וְאֵמָיו  
 אֲקָרִי תְּרַפִּים בְּגִין רִבְטָשׁוֹ וְאֲרָפִי יָדֶיךָ כִּדָּא וְעַתָּה הֲרָף יָדְךָ  
 i. e. Dixit R. Jose: *Quid fuerunt Teraphim, nisi species idoli? Et post  
 pauca: Quare autem vocantur TERAPHIM? Quia deprimunt & re-  
 missas faciunt manus, uti dicitur: Et jam הרף remitte manum  
 tuam 2. Sam. 24. 16.* Alii hanc suppeditant rationem, quod ipso-  
 rum prædictiones essent remissæ nec sæpe veræ. Ita R. Bechai in  
 Gen. b. l. ומלת תרפים נגזרת מלשון נרפים ויקרא להם להם  
 רפים לרמוז עליהם כי דבריהם כמו נבואה רפה  
 i. e. *Porrò vocabulum TERAPHIM significationem desumit ex נרפים  
 (s. à rad. רפה laxum, remissum esse) quasi רפים quod verba eo-  
 rum essent prophetia quedam laxa seu inanis.* Nonnullos תרפים  
 ideò à רפה deducere, quod in Sabbato illis eorumq; cultui vaca-  
 rent homines (cum רפה notet *desistere, vacare*) refert D. David  
 Rungius *Prælect. in Gen. c. 31. p. 924.* Alios, quod in tali loco re-  
 ponerentur, unde non facile dimoverentur, sed illic semper per-  
 sisterent, commemorat Joh. Mercerus *in Gen. c. 31. p. 533.* Verum  
 eum ejusmodi forma ex talibus verbis in textu Ebræo non occur-  
 rat & præterea additæ Etymologiæ rationes non uno displiceant  
 nomine, nostrum agrè huic originationi addere possumus calculū.  
 Neq; ex Ebræis desunt, qui deducant vocem à תרף *turpitude.*  
 Sic in Zohar l. c. dicitur: ואמאי אקרי תרפים בגין גנאי הוה  
 כמה דתנינן במקום התורף i. e. *Cur vocantur TERAPHIM?  
 Propter ignominiam, ut dicere solemus: In loco turpitudinis vel igno-  
 minie.* Eadem quoq; Etymologia approbatur in Tanchuma *ad  
 Sect. וְלִמָּה נִקְרְאוּ תְּרַפִּים לְפִי שֶׁהֵן מַעֲשֵׂה תוֹרָה מַעֲשֵׂה טוֹמְאוֹת*  
*Quare dicuntur TERAPHIM? Quia sunt  
 opus turpe & fædum.* Verum vocem תורף, vel תורפה, vel  
 תורפיתא tempore Labani, nec Syris, nec Ebræis turpitudinis  
 significatu venisse sed recentioris esse ævi Latiorq; cum aliis qui-  
 busdam, de quibus conferatur שר דוד *Davidis Cohen de Lara,*  
 originem debere non abs re suspicamur. Et quis credat Idolola-  
 tras Deastris suis à turpitudine nomen imposuisse?

TH. 2. Nobis vox TERAPHIM non Ebraica, sed peregrina  
 videtur. Idem agnoscit Joh. Mercerus *ad Thes. Pagnini p. 3185.*  
 sed qualis sit, non exponit. Lud. de Dieu *Animadv. ad Gen. 31. p. 41.*

inter



inter alia ait esse Syriacam, eandem cum nomine **תרפיה** Seraphinorum, mutato ex Syrorum more **ש** in **ת**. Verba ejus hæc sunt: Fortasse Angelorum fuerunt imagines aut Angelis dicatae (TERAPHIM.) Unde Spiritus angelicus eas subibat ac consulentibus per eas oracula edebat. Ex hac conjectura **תרפיה** mihi idem essent, quod **תרפיה** notissimum Angelorum nomen, mutato ex Syrorum more **ש** in **ת**. In eandem inclinatur sententiam M. Joh. Gaffarellus Gallus in libro suo, quem inscripsit *Curiosités innouyes*, h. e. *Curiositates in audite*, de sculptura Talismannica Persarum, Horoscopo Patriarcharum & Lectura Stellarum, &c. c. 3. cujus sententiam infra examinabimus. Sed unde probabit de Dieu Syros nomen illud ab Ebræis accepisse vel etiam nomen Angelorum **תרפיה** tum temporis iis jam innotuisse?

TH. 3. Vir Cl. Hottingerus *Smegm. Orient. l. i. c. 5. p. 90.* vocem existimat Ægyptiacam esse & **תרפיה** dicit fuisse Serapidas Ægyptiorum. Id hisce innuit verbis: *Vocabulum תרפיה cum ipsa fabrica ex Ægypto in Judæam transisse videtur. Erant autem pueri fasciis involuti, cujusmodi statue ap. Ægyptios multe sunt, quas Serapidas vocant & loco Φυλακτικῶν erant. Et sanè תרפיה esse Ægyptiorum Serapidas disertis confirmat verbis scriptor Arabicus Aben-nephtus in Oedip. Kircheri T. II. P. II. Synt. 4. p. 259. Serapis autem vox composita est ex **σῶρ** cista & **ἀπ** quod Ægyptiacè bovem notat, adeo ut propriè notet arcam bovis, Numen, cui multa Ægyptij tribuerunt miracula. Vide eundem authorem Synt. III. p. 197. 199. Postea ad varios adhibebantur usus. Ab hac ergò voce potius, **ש** mutato in **ת** (quam mutationem & illi admittunt, quibus **תרפיה** & **תרפיה** eundem Angelorum ordinem notant) quam aliunde obscurum illud nomen deduxerim, præsertim cum idem fuerit utrobique officium. Varias earum figuras collegit Kircher. Synt. IV. p. 261. plurim habet Tom. III. Synt. XVI. p. 474. & deinceps. Verum hæc sua sententia vir doctissimus sibi potius, quam aliis satisfecisse videtur. Nam & originatio, qua **תרפיה** ex **σῶρ** & **ἀπ** descendere dicitur, est longiusculè petita, licet enim Syri & Ebræorum in quibusdam vocibus suis in **ת** mutent, num tamen aliarum linguarum literas sibilantes in vocibus suâ civitate donatis etiam ita transformant, nos dubitamus: & Etymologiæ addita ratio non*



fatis quadrat, quid arca bovis ad figuram pueri fasciis involuti?  
nec certum Syros TERAPHIM ab Ægyptiis accepisse. Credemus  
interim *σὺρ* Ægyptiis esse cistam & *ἀπ* bovem, quem Coptitæ ho-  
die vocant *τὸν ἔγγυ*, *Ἐγγυ* / *πικὰ λουκί*, &c. (non verò *πικροεπιμικία*:  
nam licet hanc vocem Athan. Kircherus in *Lexico Copto* per *Bo-*  
*vem* verat, propriè tamen ea notat *Primogenitum* ex *ἄρρη* *Primo*  
& *μικί* *natus*.) *Ἄπυ* tamen & *Μνεῦν* Deos Ægyptiis boum figurâ  
cultos fuisse notum est, quo fortean respexit vir doctissimus.

TH. 4. Ut nostram adjiciamus Symbolam, existimamus vocem  
TERAPHIM Syriacam quidem sed in sacro codice ad formam  
Grammaticam Ebræorum accommodatam esse, ejusq; radicem  
quàm commodissimè restitui posse ex lingua Arabica, & Ebraicæ  
& Syriacæ valdè cognatâ. Hinc cum in lingua Arabica adhuc usi-  
tata sit radix *תר* *Târafâ*, non est absurdum eandem radicem  
antehac quoq; in lingua Syriaca, quin & ipsa Ebraica, extitisse.  
Porro *Târafâ* Arabicè est: *Bonis commodisq; vita affluxit vel iis*  
*fructus & letatus est*: in *Conj. IV. Vita commoda largitus fuit*, uti  
ex *Alfranzabadii Camuso & Maruphidis Lex. Arabico - Persic.*  
probat *Cl. Jac. Golius Lex. Arab. p. 378.* *Franc. Raphelengius* verò  
*Târafâ* interpretatur: *Uberem & affluentem reddidit*, uti quoq;  
eandem radicem vertit *Lud. de Dieu l. c.* TERAPHIM proinde La-  
bani Syri Deastros appellatos fuisse, quod mala (ut olim *ἀλεξι-*  
*μαχοί*) averruncarent & prospera quævis rei familiari conferrent,  
quo fine Romani coluerunt *Averruncum*, *Æsculanum*, *Fortunam*  
nec non *Lares*, verò absimile non videtur.

TH. 5. Porro vox illa *תרפי* in sacro Codice quindecim  
vicibus usurpata legitur sc. *Gen. XXXI. v. 19. 34. 35. Jud. XVII. 5.*  
*c. XVIII. 14. 17. 18. 20. 1. Sam. XV. 23. c. XIX. 13. 16. 2. Reg. XXIII.*  
*v. 24. Ezech. XXI. 26. Hos. III. 4. Zach. X. 2.* & perpetuò in plu-  
rali, unde dubium est num; vox ista pluralis tantum fuerit, an ve-  
rò agnoverit formam quandam singularem, quam *Schindlerus*  
*Lex. Pentagl. Avenarius in Lexic. Mercerus l. c.* faciunt *תרפ*,  
unde in Pl. *תרפי*. Nobis vox videtur fuisse pluralis numeri  
tantum, quia de uno individuo usurpatur in libro Samuelis &  
procul dubio etiam *Judicum*; nec tamen repugnamus, quia qui-  
libet abundet suo sensu.

TH. 6. Dis-



TH. 6. Disquiri autem, ut ad veram de veniamus significatio-  
nem, ulterius jam posset, utrum per תְּרַפִּים indicetur in genere  
quæcunq; similitudo & imago vel humana vel cujusvis rei, an ve-  
rò innuatur certa quædam idoli species. Prius placet Jesuitæ Ben.  
Pererio in Gen. 31. Diss. 1. p. 814 2. Significat autem, inquit, Teraphim  
imagines, sive simulacra, sive figuras qualescunq; & qualiumcunq;  
rerum, sed plurimum hominum vel deorum, quæ Idola vocantur:  
Imagines dico & figuras, vel per picturam, vel sculpturam, vel textu-  
ram expressas. Hujus interpretationis probatorem & auctorem habeo  
Sanctum Hieronymum Epist. 113. ad Marcellam. Illi inecenturiatur  
Jesuita Jac. Bonfrerius ad l. c. p. 260. his verbis: Pro idolis in He-  
braeo est TERAPHIM, quæ vox quasvis imagines, figuras, statuas,  
idola significat & vix in bonam partem sumitur, videturq; primariâ  
significatione significare Idola, &c. Quin tamen Teraphim subinde  
etiam dicantur, & dici possint qualibet statua & imagines, licet  
nulla responsa darent, mihi non videtur dubium & probari potest ex  
1. Reg. 19. v. 13. & 16. Consentit & Andr. Rivetus Comm. in Hos. 3.  
p. III. 2. ubi ait certum sibi videri, Teraphim in genere significare  
imagines factas ad similitudinem corporis humani & pro ratione loco-  
rum & eorum circumstantiis, vel pro Idolis & simulacris idololatricis,  
vel pro alia quavis humana representatione sumi posse. Eadem est  
aliorum quorundam sententia, quos operosè nil attinet recen-  
sere. Sed posterius nobis magis videtur vero consentaneum.  
Nullus quippe produci potest Scripturæ locus, in quo תְּרַפִּים  
de nuda imagine exponere queas præter locum Samuelis, de quo  
nobis postea pluribus agendum. Cæterum interpretes Biblici non  
uno hanc vocem transtulerunt modo. Interpres Vulgatus ut plu-  
rimum vertit Idola, in Samuele statuam, alicubi retinet TERAPHIM.  
Ex Græcis Aquila plerumq; μορφώματα Figurationes, in Hosea a.  
ὄψουσιν. LXX. in historia Labani reddunt εἰδωλα, in historia  
Michal & Davidis κενοτέφια, ap. Ezechielem γλυπτά, ap. Hoseam  
ἄπλας, & ap. Zachariam ἀποφθεγομένης: Aliàs θεοφειν reti-  
nere solent, ( id quod faciunt quoque Symmachus & Theodo-  
tion, ) ut Jud. XVII. v. 5. cap. XVIII. 14. 17. 18. 20. 1. Sam. XV. 23.  
2. Reg. XXIII. 25. Chaldeus in historia Labani תְּרַפִּים Im-  
gines, & sic sæpius, in historia Michæ תְּרַפִּים Simulacra, ap. Hoseam  
תְּרַפִּים Annunciantes. Syrus in Genesi vertit תְּרַפִּים Imagines,  
(non



(non necessariò *Idola*, ut reddunt Angli) sic & 1. Sam. XIX. v. 13. in historia Michæ גלופני צלמא *simulacrum Sculptile*, 2. Reg. XXIII. פתכרי *Idola*; Apud Hoseam בסמני Ponens seu adolens aromata, ap. Zachariã ירועי *noti, familiares* (Angli divini) Arabs in Genesi transfert per תמצארי *Imaginē, simulacrū*, sic & 1. Sam. XIX. In historia Michæ, & 2. Reg. XXII. 24. per צנב *Idolum*, ap. Hoseam per מרשר *docentē*, juxta Anglos (propriè: *in recta via dirigentem*, nam מרשר est Partic. Conj. IV. à רשר *recta institit via*) ap. Zachariã per אלמתפורין *loquentes*, juxta Anglos (potius: *garrulos, loquaces*,) ap. Ezechielem per אלמנחותארי *Sculptilia*. Persa Jac. Tawusius in Genesi vertit אשטרלאבהני *Astrolabia*. Æthiops ibidem retinuit vocem תרפין, sic & versio Samaritana ית תרפיה. Quicquid sit, potest una eademq; significatio voci תרפיו assignari in omnibus Scripturæ locis nec opus eam in tot significata distrahere. Et nos quidem autumamus תרפיו commodius perpetuò per *Idola*, & in specie *Lares* vel *Penates*, quam per nudas veri *Imagines*. De quibusdam controversis locis infrà agemus.

TH. 7. Et hæc hæctenus de nomine afferre placuit: Jam ulterius dicendum tum qualia fuerint *Idola Labani*, tum quæ fuerit intentio quodvè consilium Rachelis eadem Patri suffurantis. Exhibemus proinde ante omnia sequentē תרפיו TERAPHIM descriptionem: TERAPHIM fuerunt *statue Idololatricæ domesticæ ex diversis materiis figurâ humanâ à Syris effabricatæ, ut essent fortune bonæ authores & occultorum indices*. Ubi breviter innuimus tum genus, quod scilicet fuerint *statue*, non quæ libet quidem, sed *Idololatricæ*, differentiam specialiozem desumimus tum à *causa efficiente*, Syris sc. à quibus quantum novimus, talia *Idola inventa* & ad alios populos propagata fuerunt: tum à *materia*: tum à *forma* externa, quatenus TERAPHIM considerantur ut *statuæ*, quæ deinde per denominationem extrinsecam ab actu tum mentis de objecto divinam excellentiam concipientis, tum voluntatis, ad submissionem & venerationem consentientis fiunt *Idola*: tum à *sine* & *usu*.

TH. 8. Primò agemus de *materia* & *forma*, conjunctim tamen de tota fabrica ejusq; modo. In Ebraorū monumentis mira leguntur, quæ breviter hic perstringemus, ut remotis obstaculis deinceps in veritatis adyta eò faciliùs & feliciùs penetremus. R. Elieser, Scriptor



Scriptor antiquissimus, in capitulis suis c. 36. de TERAPHIM sequen-  
 tia tradit: ומה הן התרפים שוטחים אדם בכור ומולקין ארץ  
 ראשו ומולחים אותו במלח ובשמן וכותבין על ציץ זהב שם  
 רוח טומאה ומניחין אותו תחת לשונו ונותנין אותו בקור  
 ומרליקין נרות לפניו ומשתחווים לו והוא מדבר עמהם  
 i. e. *Quid autem sunt TERAPHIM? Mactabant quendam primogenitum  
 & avellebant* (ita vertit vocem מולקין Buxtorfius: *diffindebant*,  
 Hottingerus & G. H. Vorstius: *Præscindebant*, P. Fagius; *ungue  
 secabant vel manibus discerpebant*, Seldenus) *caput ejus & condie-  
 bant illud sale & oleo, scribebantq; super laminam auream nomen Spi-  
 ritus cujusdam immundi & ponebant illud sub lingua ejus. Postea po-  
 nebant illud caput ad parietem & incendebant lampadas coram eo ac  
 procumbebant coram ipso & sic loquebatur simulacrum illud cum ipsis.*  
 Eadem totidem verbis repetita leguntur in Tanchuma sect. ויצא.  
 Et Jonathan Pseuduzielides fermè verbotenus Ebraica R. Eliese-  
 ris Chaldaicè expressit hoc modo ונתת רחל ית צלמנויה  
 דהוון נכסין גברא בוכרא וחזמין רישיה ומלחין ליה במלחא  
 ובוסמין וכתבין קוסמין בציצא דדהבא ויהבון תחות לישניה  
 i. e. *Et furata est Rachel imagines: nam mactabant virum primogenitū, cujus caput avel-  
 lebant* (amputabant, Angli) *& condiebant sale & aromatibus, scribe-  
 bantvé divinationes sub lingua ejus & erigebant ad parietem & sic lo-  
 quebatur cum illis. Conf. & Eliam Levitam Germanum in Tischbi.*  
 Ex Ebræis fabellam in commentaria sua transtulerunt Nicol. Lyra-  
 nus Gen. XXXI. & Jud. XVII. & Alphonsus Tostatus Abulensis b. l.  
 Ille ex Judæo Christianus, hic Judaizans. Verùm in ista sententia,  
 nullis quippe suffulta argumentis, ἄδεν ὑγιές esse, ecquis non vi-  
 deat? Unde eandem meritò explodit B. Lutherus noster Tom. XI.  
 Witteb. Germ. f. 216. Nec improbanda videtur censura G. H. Vorstii  
 ad Pirke Eliezer p. 220. sequentibus concepta verbis: *Que de hor-  
 renda TERAPHIM confectioe hic R. Elieser tradit atq; ex illo Tanchu-  
 ma f. 15. 3. Targum Jonathan Gen. XXXI. 19. Elias Levita aliq; , nil  
 certi continent, sed ex traditionum colluvie hausta sunt. Nimis crude-  
 lis hæc componendi TERAPHIM ratio videri debet & ab omni humani-  
 tate abhorret. Testis quidem est Carthago, humanis victimis Saturnum  
 placari diu moris fuisse: sed adeo sevam ac fœdam Idololatriam in fa-  
 milia*



milia Labanis obtinuisse neutiqvam mihi verisimile fit, cum non penitus veri Dei notitia destitutum fuisse pateat ex Gen. 31. 53. | Nos meliori ducti ratione Judæis loquimur *תְּרָפִים וְדַעַת וְשִׁבְעָה*

TH. 9. Alii existimant TERAPHIM fuisse instrumenta quædam certo artificio ad stellarum positum effabricata, ut inde futura cognosci possent. Sic ex Rabbinis pleriq; scribunt TERAPHIM fuisse imagines certis temporibus arte magica confectas, quæ futura indicârint. Ita Raschi ad 2. Reg. XXIII. 24. *תְּרָפִים צִלְמוֹת שְׂמֵרָבְרִים עַל יְדֵי כִשְׁפִים וְהַעוֹשֶׂה אוֹתָן צִרִיךְ לְכוּן שְׂעוֹרָה* i. e. *Teraphim fuerunt imagines, loquentes arte magicâ. Fabricantibus eas necesse fuit observare certam horam certumq; annum rei huic convenientem.* Et Ezech. XII. v. 21. idem ait: *תְּרָפִים הוּא צֶלֶם הַמְדַבֵּר בְּמִכְשָׁפֹת וְיֵשׁ שְׂעוֹרָה* i. e. *TERAPHIM est imago loquens per artem magicam estq; certa hora preparata, quâ si quis confecerit eam, est in illâ sermo perpetuus.* Sic & Hof. III. 4. *תְּרָפִים הֵם צִלְמוֹת הַנַּעֲשִׂים בְּכוּן שְׂעוֹרָה אַחֲרַי הַעֲשׂוּיָה לְכָךְ* *TERAPHIM sunt imagines facta ex intentione certæ horæ huic rei congruæ, & sic loquuntur ex semetipsis & annunciant occulta.* Nonnulli tōis TERAPHIM præterea adscribunt usum horologiorum. Eam fuisse R. Mosi Nachmanidis sententiam refert R. Bechai ad b.l. *דַּעַת הַרְמָבֵן בְּתְרָפִים כִּי הָיוּ כְלִיִּם לְקַבֵּל הַשְּׂעוֹרָה וּיְקַסְמוּ לְדַעַת הַעֲתִידוֹת* i. e. *Sententia R. Nachmanidis de TERAPHIM est, quod fuerint instrumenta facta ad cognoscendum horas & divinandum futura.* Et R. Dav. Kimchi ad 1. Sam. XIX. 13. scribit: *וְיֵשׁ אֹמְרִים שֶׁהוּא כְלִי הַנַּחֲשֶׂה הַעֲשׂוּי לְדַעַת חֲלָקֵי הַשְּׂעוֹרָה וַיִּרְאוּ בָהֶם* i. e. *Quosdam dicere, TERAPHIM fuisse instrumentum æneum, eò factum, ut cognoscerentur inde partes horarum, viderenturq; simul futura beneficio astrorum.* Sic & R. AbenEsra ad Gen. XXXI. notat inter alia: *וְיֵשׁ אֹמְרִים שֶׁהוּא כְלִי נַחֲשֶׂה הַעֲשׂוּי לְדַעַת חֲלָקֵי הַשְּׂעוֹרָה* i. e. *Esse qui dicant, TERAPHIM fuisse instrumentum æneum, factum, ut cognoscerent inde partes horarum.* Idem in animo habuit Jacob Tavuſius interpres Perſicus vertens *astrolabia*. Sed Kimchi l. c. addit horologium ineptum esse, ut à Michale in lecto Davidis poneretur mentireturq; Davidem.

TH. 10. Cœ-



TH. 10. Cœterum imagines de quibus suprâ, juxta certam con-  
 stellationem & pro ratione horoscopantium signorum effabrica-  
 tas, ut futura revelent vel voces edant, Arabes appellant  
 תלשמון *Tilsemas* vel *Taliskas*. Ita Ant. Giggæus *Thef. Amb. r.*  
 תלשמון ait: תלשמון *Imagines ad influxum stellarum factæ.*  
 Et Jac. Golius *Lex. Arab. p. 1473.* תלשמון *Tilsemon est imago*  
*magica: quales sub certo horoscopo insculpi rebus & consecrari solebant*  
*ad certam efficaciam.* Nomen ex Græco τέλεσμα corruptum vide-  
 tur. Rem quod spectat, solebant magi ex stellis sibi quædam fin-  
 gere schemata, plura tamen asterismis in globo depictis, quæ si  
 sol vel alius Planeta ingrederetur, conficiebant imagines, quibus  
 credebant ex influxu siderum cōmunicari vim mala averruncandi  
 (Sic putabant Scorpionem quendam Scorpione cœlesti horosco-  
 pante fabricatū abigere terrestres scorpios) imo & voces edendi,  
 quas tamen edebant formæ assistentes & hominū superstitionem  
 augentes. Unum atq; alterum *Tilsemarum* exemplum ex authori-  
 bus in medium proferre senio nobis non erit. In Chronologia Sa-  
 maritana c. 46. citante Hottingero dicuntur Romani collocasse in  
 vertice montis Garizim Tilseman, avem nempe aeneam, quæ cum ipso  
 sole circumferretur: Quod si ergo Samaritanus adscenderet, clamasse  
 avem: Hebræus. Unde colligentes, Samaritanum in monte esse, egressi  
 Romani eum occiderint. Aliud Tilsemarum exemplum subjicit  
 Hottingerus loco citando ex Jacobi Justi Judæi Chorographia terra  
 sanctæ: Adonis fluvius Phœnicie notus & à fabula Adonis sic nominatus  
 hodie dicitur fluvius Canis, siquidem illius regionis habitatores sibi per-  
 suadent in quodam monte alto vicinoq; illi fluvio Canem ex metallo arte  
 magica conflatum fuisse & cum hostium Pyratærum naves mare percur-  
 rerent, latrâsse, cujus latratu omnes commonefactos confestim conve-  
 nisse & ad defensionem arma cepisse, hincq; fluvium nomen comparâsse.  
 Hisce nos tertium addemus ex Johanne Balæo Anglo, qui *Actis*  
*Rom. Pontif. p. 164.* de Sylvestro II. refert sequentia: Sylvester Secun-  
 dus magicas artes in papatu celabat & necessitudinem illam, quam ipsa  
 diabolo habuit, dissimulabat. Caput veruntamen aeneum in abdito quodâ  
 loco servabat, à quo, cum quicquam peteret à maligno Spiritu illo, re-  
 sponsa semper accepit. Tandem sibi pulchrè placens in papali fastigio,  
 sciscitabatur ex suo congerrone diabolo, quamdiu potiturus esse ponti-



*ficatu? Diabolus ambiguè respondit: Non moriturum illum, priusquam  
 in Hierusalem missam celebraverit. Paulò aliter tamen hæc refert  
 Gvilhelmus Malmesburiensis Monachus Benedictinus de gestis re-  
 gum Angliæ l. 2. c. 10. scribens: De Gereberto (ita Sylvester ante Pon-  
 tificatum vocitabatur) fama dispersit, fudisse sibi statuæ caput, certâ  
 inspectione siderum, cum videlicet omnes Planetæ exordia cursus sui  
 meditarentur (dubium quid sibi velit) quod nonnisi interrogatum  
 loqueretur, sed verū vel affirmativè vel negativè pronunciaret. Verbi  
 gratia cum diceret Gerebertus: Ero Apostolicus? responderet statua:  
 Etiam. Moriar antequam missam cantem in Jerusalem? Non. Verum  
 hic Gerebertus (Balæo Gilbertus) ut hoc Ⲛⲓⲏⲏ ⲛⲏ adjiciamus,  
 responso de mortis tempore miserè deceptus est. Cogitavit enim  
 ille urbem Jerusalem; Oraculum autem sacras ædes sic dictas  
 Romæ voluit. Cum enim Pontifex oraculi mentem non assecutus  
 quadam quadragesimalis stationis die Romæ sacra faceret in Ba-  
 siliça S. crucis, quæ Hierusalem vocabatur, pensum Satanæ reddi-  
 dit vitæ, cum gemitu fugit indignata sub umbras. Tillemarum species  
 fuisse Græcorum quoq; σοιχεῖα existimat Seldenus, de quibus in  
 Centiloquio Ptolomæi, quod vulgò dicunt, legitur: Τὰ ἐν Ἰερουσαλὴμ  
 καὶ ἐν Ἰερουσαλὴμ πάλαι ὑπὸ τῶν ἑβραίων εἰδῶν. Διὰ τὸ τοῦτο ἑβραῖοι  
 οἱ σοιχειωτικοὶ, τὰς ἐπιβασίς τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ' αὐτὰ.  
 i. e. In generatione & corruptione existentes vultus subjecti sunt vultu-  
 bus, cælestibus: quapropter utuntur illis confectores σοιχεῖων Introi-  
 tus stellarum in eos speculantes. Eodem quoq; reducit idem Selde-  
 nus τὰ τῶν Ἀπολλωνίων τελέσματα Justino memorata, & Iyngas, seu  
 Strophalum Hecaticum sive Sphærulam Hecaticam, cylindros sc.  
 vel globulos aureos, Hecates dictos, characteribus variegatos,  
 inclusum continentes Sapphirum, & loro bubulo tortos, quos  
 rotantes Dæmonas invocabant Magi Chaldæorū: nec non Rhom-  
 bum Magicum. Sed illa nos fusius non prosequemur: plura de  
 Tillemis suppeditabunt R. Majemonides ad Avoda Sara c. 3. & 4.  
 More Nev. l. 3. c. 29. & alibi. Leunclavius in Pandect. Turc. c. 130.  
 Jos. Scaliger Epist. l. 2. ep. 119. & ad Sphæram Barbaricam Manilij.  
 Joh. Seldenus Anglus Synt. I. de Dis Syris c. 2. Joh. Buxtorfius Lex.  
 Talm. p. 879. Edov. Pokokius Not. ad AbulFarajum p. 140. J. H. Hot-  
 tingerus Hist. Orient. l. 1. c. 8. p. 188. ed. prior. Hugo Grotius ad Gen. 31.  
 Joh. Gaffarellus Curios. c. 3. & alii.*

TH. II. POR-



TH. II. Porrò Tillemas fuisse quoque; Labani TERAPHIM existimat  
 CL. Hottingerus *l. c. p. 196.* unde necesse est Serapidas itidem Tillemas  
 fuisse, nisi Hottingerus sibi met contradicere velit. Nos verò  
 Labani Idola secundum certam constellationem efformata fuisse  
 more Tillemarum nondum satis probatum putamus, iis duabus rationibus,  
 quas Vir doctissimus profert, quarum prima est: Tillemas Sabæo-  
 rum (his enim origo earum adscribi solet) non nisi certo tempore  
 confectas esse. Idem de TERAPHIM testari Rabbinos. E. Secunda:  
 Tillemas quidem ut plurimum Deos averruncos fuisse, aliquando  
 tamen iis *ἑνεμανομένων*, vel oraculorum officium tribui. Idem of-  
 ficiū fuisse τῶν TERAPHIM. E. Sed R. ad 1. ut ut concederemus,  
 quicquid certis temporibus tantummodo conficitur, Tillemam  
 esse, quamvis hæc sat lata sit consecutio, ex unius tamen vel alte-  
 rius Rabbini sententia probari nondum posse, TERAPHIM non nisi  
 certo tempore confectas esse: nam Rabbini Rabbinos alios Cad-  
 mazos fraterculos, qui nil tale in factura τῶν TERAPHIM requirunt,  
 opponere possumus, neque quæ in cuiusvis Rabbini liri pipio na-  
 scuntur, protinus credenda sunt; nam *ἀνὸς ἑρῆρας ἀντὶ ἰσοουρῶν*  
 sæpe inveniet, qui nesciverit velut ex stercore Enniano margaritas  
 legere: tum Michæ mater non legitur expectasse certam horam  
 ad ποίησιν τῶν TERAPHIM Jud. XVII. 4. sed aurifaber ex materia  
*διὰ τὴν τύχην* sibi oblata dicitur fabricasse TERAPHIM. Ad 2. R.  
 malum esse argumentum: Tillemæ responsa dederunt. TERAPHIM  
 responsa dederunt. E. TERAPHIM sunt Tillemæ. Dederunt quoque  
 responsa omnia gentilium oracula, quæ tamen non necessario Til-  
 lemæ fuerunt. Talia proinde, quæ de TERAPHIM ex sacro codice  
 haurire non possumus, non facile cuidam obtrudemus.

TH. 12. Sacri verò Codicis vestigia studiosè legentes, quid  
 illic de TERAPHIM prodatur, dispiciemus. Persvasissimi igitur  
 sumus I. TERAPHIM FUISSE IDOLA. Facebat Genebrardus qui  
*Chronol. atat. 6.* per TERAPHIM intelligi vult sacras imagines: sic  
 & in *Pf. 73.* Similiter Joh. Gaffarellus *l. c.* statuit TERAPHIM fuisse  
 figuras à Mose permittas & à Labano reliquisvè orientalibus piè  
 usurpatas, quibus Deus admirando modo voluntatem suam pate-  
 fecerit: Imaginem Michæ fuisse ejusdè generis cum figuris Templi  
 Seraphim & Cherubim, quibus etiam accenset vitulum in deserto



& vaccas Jerobeami in Dan & Bethel: quæ impia hominis curiosissimi audacia digna certe fuit quam Sorbonæ censura notaret. Sed TERAPHIM Labani Idola fuisse inde patet, quod eadem disertè appellet DEOS suos *Gen. XXXI. 30.* se autem Idololatram esse innuit Laban *v. 53.* discrimen constituens inter **אלהי אברהם** Deum Abrahami, & **אלהי נחור** Deum Nachor & patrum, qui alienus fuit *Job. XXIV. 2.* Sic *1. Sam. XV. 23. 2. Reg. XXIII. 25. Ezech. XXI. 21. Zach. X. 2.* per TERAPHIM necessariò intelliguntur Idola, quia ponuntur ad latus **קסם, מרי, אובות, ירעונים, שקוצים, גלולים, תוֹס** aliisq; abominationibus idololatriæ. Superest ut de locis reliquis *Jud. 17. & 18. 1. Sam. 19. & Hof. 3.* idem ostendamus. Et quidem quod ad historiam Michæ, ejus TERAPHIM simulachrum veri numinis fuisse existimat Gerh. Joh. Vosius *de Idololatria gentium l. 1. c. 3. p. 20.* Si quidem mater ejus argentum, unde factum simulachrum, sacrificasse dicatur Jehovæ: & Micham velle in eo colere Deum Israëlitis satis arguatur verbis istis: *Nunc novi Jehovam benefacturum esse mihi, eo quod est mihi Levita in sacerdotem.* Verum Micha potius miscuit cultum veri DEI & dæmoniorum, præsertim tempore **ἀναρχίας** illius, ubi quicquid libebat, licebat, per **אפוד** verum DEUM, per **תרפים** diabolum consulturus, nam & **תרפים** declaratur per **פסל** & **מסכה**, & hujusmodi spiritualia adulteria DEUS in Israëlitis sæpe reprehendit. Religio proinde & cultus Michæ non præcul abibat à Samaritanismo, de quo *conf. 2. Reg. XVII. 33. 34.* Et TERAPHIM Michæ Idola fuisse pleriq; concedunt interpretes tam Christiani, quam Judæi. Hi quoq; in Calendario suo ad diem 23. mensis *Sebat* notant jejunium ob cladem Benjaminitarum propter pellicem, & Idolum Michæ.

TH. 13. De TERAPHIM porro in historia Michalis & Davidis *1. Sam. XIX.* variæ sese offerunt opiniones. Multi negant Idolum fuisse. Ita R. David. Kimchi *ad 1. Sam. XIX. 13.* commentatur:

**התרפים יש מפרשים כי הם עוֹ כְמוֹ הַתְּרָפִים אֲשֶׁר לְלִבֵּן שֶׁגִּנְבְּתָם רַחֵל וְלִבֵּן עֹבֵד עֹ הוּא כְמוֹ שְׂאֵמַר לָהּ לְמִי גִנְבְּתָ אֶת אֱלֹהֵי וְחִלּוּלָהּ חִלּוּלָהּ שֶׁהוּא בְּבִירַת דָּוִד עוֹ:**  
*i. e. TERAPHIM b. l. quidam interpretes volunt esse Idola qualia fuerunt TERAPHIM LABANIS, quæ futura fuit Rachel. Et Laban quidem fuit Idololatra, unde dicit ad eam: Quare furata es DEOS MEOS? Sed*

*absit*



absit longissimè ut existimemus in domo Davidis Idolum fuisse. Sic & Ramban ad Gen. notat non esse verisimile in domo tam sancti viri Idola fuisse, potius TERAPHIM quædam concedenda, quæ non sint Idola. Eadem mens præter alios est Riveti, qui Exerc. 133. in Gen. ait: Imaginem illam (à Michale in lecto Davidis collocatam) Idolum non fuisse, confirmat singularis Davidis pietas, qui fuit vir secundum cor DEI. Ille igitur cum Ribera in Hos. 3. num. 21. ad idem Hoseæ caput p. iii. autumat Michalem ex variis hinc inde rebus fecisse statuam homini similem, quales tauris objici solent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas, vestibus scilicet virilibus palea aut fæno oppletis & humani corporis membra simulantibus, unde & pellem pilosam caprarum posuisse ad caput ejus, videlicet ut ruffos Davidis capillos imitaretur. Addeamus & annotatiunculam R. Jacob Abendanæ in Spicilegio ad R. Salomonis Ben Melech Miclal Jophi nuperrimè edito referentis ad locum Samuelis uxores antehac solitas fuisse comparare sibi maritorum suorum imagines, ut illorum figura oculis semper obversaretur, idq; ex magnitudine amoris sui erga eos & ex harum imaginum genere etiam fuisse Teraphim Michalis ex amore vehementissimo erga Davidem facta, atq; sic nil impius in iisdem fuisse; quare Michal illa in locum Davidis substituerit, quod eam externa specie referrent. Sed nescimus, quid valde obstet quo minus & hic loci TERAPHIM per Idola explicemus: Ea potuerunt in domo Davidis esse incio ipso & à Michale asservari animi gratia non cultus causâ, diciq; Idola & TERAPHIM in ampliacione, à statu priori, quod talia fuerint. Astipulatur nobis Megalander noster Lutherus l. c. cujus ipsissima verba adducere non gravabimur: Das Bilde / daß die Michal an Davids statt ins Bette gelegt / halte ich sey irgend ein Bilde oder Göt gewest / so noch irgends an einem Ort überblieben ist vom vorigen Aberglauben und Abgötterey. Gleich wie bey uns noch viel Bilde überblieben sind / die an etlichen Orten noch bewahret werden / zum Gedächtnis der alten Abgötterey / daß mans irgends schauen und die Kinder damit spielen läßt / und nicht zum Gottesdienst / Solche Götzen haben zu Davids Zeiten in den Häusern hin und wieder in den Winkeln verborgen gelegen: Da ist die Michal in der Enle zugefahren / da nichts anders vorhanden gewest ist / und hat das Bilde ergrieffen / und dasselbe an Davids statt ins Bette gelegt / dann  
zu



zu der Zeit sind ohne Zweifel auch noch viel Warzeichen gewesen von dem  
 Aberglauben und Abgöttereyen/aus dem Lande und Religion der Jebusi-  
 ter/&c.gleich wie daß die schuldigen Klagen in vielen Psalmen bezeugen/  
 in welchen David mit grossen Schmerzen wieder die Abgötterey  
 streitet und betet. Astipulatur nobis quoq; Mercerus ad Gen. 31.  
 p. 533. simul respondens ad R. Nachmanidis objectionem: Sed ego,  
 inquit, puto fuisse adhuc in Israëlitis nonnullas reliquias Idololatriæ,  
 licet magna ex parte in communi & in cœtu Ecclesiæ expulsa esset;  
 maximè Saulis tempore, ex quo reprobatus fuit: in Davidis autem  
 domo hæc Teraphim velut ludibrij causâ remansisse adhuc (puto.) Con-  
 sentit R. Jeschaja, Michalis TERAPHIM Idolum fuisse, ejusdem  
 tamen consilium non satis dextrè exponere videtur. Ita ille ad 1.  
 Sam. 19. מצאה התרפים ושמה שם כרו לומר לאביו כי  
 דוד מצאם והם הגירו לו כי אתה רוצה להרגו ובעבור  
 זה ברחשלא יאמר לה שאול כי אתה הגרת לו הסוד וברח  
 i. e. Michal invenit Teraphim & reposuit illic, ut dicere posset patri  
 suo: David invenit ea & illa indicarunt ipsi, quod velis occidere eum,  
 quapropter aufugit: ne proinde Saul dicere posset: Tu ipsi indicasti  
 arcanum hoc, ut fugeret. Et deniq; dubitandum non est Hos. III. 4.  
 per TERAPHIM genus Idolorum intelligi. Quamquam enim D. Hie-  
 nymus illic loci TERAPHIM pro Cherubim aliisq; templi ornamentis  
 accipi posse existimet, nec desint qui URIM & TUMMIM innui velint,  
 quò fortean respexerunt LXX. vertentes δηλώσεις, & Aquila reddens  
 φωνισμός: ex v. 3. tamè satis evidenter apparet idololatriæ prædici,  
 quod & publico cultu veri Dei exercitio & Idolis suis privandi sint,  
 nec meretrices, nec maritæ futuri. Conf. Rivetus ad h. l. p. 112. b.

TH. 14. Evicimus ergò hæctenus TERAPHIM in sacris literis  
 nuspiam nudas imagines, sed perpetuo significare Idola. Osten-  
 dimus jam porrò II. TERAPHIM FUISSE IDOLA DOMESTICA.  
 Rectè Buxtorfius Lex. Talm. p. 2660. TERAPHIM imagines fuerunt  
 sub specie humanâ, quas superstitiosi gentiles pro diis penatibus & Lari-  
 bus domesticis habebant, in dubiis ab eis responsa petentes. Conf.  
 etiam Jun. & Trem. h. l. & B. Gesnerum ad h. l. p. 601. Patet hoc  
 ex phrasi v. 19. ubi Rachel surripuisse dicitur התרפים אשר  
 לאביו i. e. Teraphim ad Patrem suum spectantia. Et v. 30. Laban  
 vocat ea Deos suos. Hinc etiam Labano fuisse domi sacellum  
 quod-



quoddam concludit Wolfg. Musculus *Comm. h. l. p. 644.* *Erat, inquit, Laban homo Ethnicus & cultor Idolorum.* Arbitror illi fuisse Sacellum quoddam domesticum, in quo Idola ista prostiterint, ut facilis fuerit ad illa accessus Racheli. Idem confirmatur ex historia Michæ, cui etiam *Jud. XVII. v. 5.* dicitur fuisse **בית אללהים** (Luth. Ein Gottes Haus) per quam sacellum hujusmodi commodissime intelligitur.

TH. 15. Afferimus III. TERAPHIM HUMANAM FIGURAM GESSISSE. Patet id luculenter ex *I. Sam. XIX.* ubi Michal legitur TERAPHIM in lecto Davidis reposuisse, ut falleret legatos Saulis, hiqve Davidem ipsum presentem putarent eumq; agrotum conspicantes acquiescerent: stolidum consilium, si TERAPHIM essent *ουραθήρια* vel Horologia, quæ nonnullorum è grege Rabbidorum est opinio. Agnoscunt tamen humanam figuram **תבנית** TERAPHIM fuisse R. AbenEsra *Gen. XXXI.* R. Sal. Jarchi, R. David Kimchi, R. Levi Ben Gerson & R. Jeschaja *ad I. Sam. XIX.* R. Sal. Ben Melech *in Miclol Jopbi ad Gen. XXXI.* & alii. AbenEsra ait: **והקרוב אליו שהתרפים צורת בני אדם והיו עשויה לקבל כח העליונים ולית אוכל לפרש והער שהתרפים ששמו מוכל בת שאול במטה עד שחשבו שומרי הבורה.** *i. e. Mibi sit probabile TERAPHIM habuisse formam humanam, ita factam, ut posset recipere virtutem superiorum, quod tamen explicare non licet. Rei hujus testimonium est, quod Teraphim, quæ posuit Michal filia Saulis in lecto, talia fuerint, ut custodes domus putarent ea fuisse ipsum Davidem.*

TH. 16. Dicimus IV. TERAPHIM EX DIVERSIS MATERIIS FABRICATA ESSE. Teraphim Michæ ex argento constitisse ex *Jud. XVII. 4.* haud obscure colligitur. Ejusdem materiæ fuisse IDOLA LABANI, quamplurimi sentiunt: Certè B. Lutherus *Tom. V. Germ. Comm. in h. l.* appellat *Die Silberne Götzen.* Et Osiander ait: *Porro hæc Idola fuerunt fortasse ex pretiosâ materia, auro vel argento, &c.* Interim statua à Michale in lecto Davidis collocata argentea vix fuisse videtur. Existimamus proinde TERAPHIM semper quidem hominis figuram, non tamen semper ejus staturam representasse, adeoq; distincta fuisse ratione quantitatis & materiæ, ut ubi major quantitas, materia vilior & ubi minor illa,

C

hæc



hæc pretiosior esset, ita tamen, ut utrobiq; idem esset respectus & usus. Liquidò enim constat TERAPHIM in Davidis locum surrogata, & Labani, quæ Rachel inter camelorum vel stramenta vel ciitellas occultare iisq; commodè insidere potuit, ejusdem quantitatis non fuisse. Michalis TERAPHIM fuisse statuam panno, ligno, palea aliisvè rebus suffarcinatam & membra humani corporis simulantem, conjicit G. H. Vorstius ad Pirke. Eliez. p. 220. Sed potuit statua illa esse ænea, vel lignea, cava tamen, vel alia, nos tacente Scriptura nil decidemus, argenteam tamen vel auream fuisse non credemus.

TH. 17. Deniq; V. novimus: PER TERAPHIM DIABOLUM HOMINIBUS RESPONSA DEDISSE. Certum est Idololatrias consuluisse TERAPHIM de rebus dubiis. Huc refert D. Augustinus quæst. 94. in Gen. verba ista Labani: אֲוֹרָא Auguratus sum, quod benedixerit mihi Deus propter te. Verba ejus sunt: Quod tamen dixit: Quare furata es Deos meos? hinc est illud fortasse, quod & augurari se dixerat. Sic & Aben-Esra augurium illud de interrogatione תְּרָפִים TERAPHIM exponunt: id quod nos in medio relinquimus. Veruntamen Ezech. XXI. 26. Rex Babel Teraphim interrogasse disertis verbis dicitur. Ibidem recensentur & alia divinationum genera; sed divinatio per TERAPHIM, quæ ad Babylo-nios ex antiqua Chaldæo-Syrorum superstitione remanserant, (Conf. Fullerus Miscell. Theol. l. 1. c. 16.) seorsim in propositione quæstionis dubiæ constitisse innuitur. Afferamus integram contextum: Stabit Rex Babylonæ in bivio, principio scilicet duarum viarum ad divinandum divinationem (hoc primum fuit genus divinationis, ad quod peculiaris seligendus erat locus, quo fortean cacodæmon certis ceremoniis & formulis vocabatur, ut enunciarer quamnam viæ partem consultum esset ingredi, id quod patet ex v. seq.) Expoliet tela (secundum divinationis genus, de quo Hieronymus ad h. b. l. Stabit in ipso compito & ritu gentis sue oraculum consulat, ut mittat sagittas in pharetram & commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, & quam prius civitatem debeat expugnare. Sed Edow. Pokokius hujus Βελομανείας hanc ex oriente accersit rationem ad AbulFar. p. 327. Cum esset, inquit, alicui vel suscipiendum iter, vel ducent-



ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres vasculo inclusas habebant, consulere solebant. Earum prima inscriptum erat אמרני רבי Jusfit me Dominus meus, secunda נהאני רבי Prohibuit me Dominus meus, tertia autem עפר nulla nota insignis erat. Harum unam manu extrahenti, si occurreret illa, quæ juberet, alacri animo, tanquam monente D & O pergere; sin illa, quæ vetaret, desistere; quod si ἀγέδουσα, illam reponere, donec prodiret, quæ vel jussu præiret vel interdicto occurreret. Hactenus Pokokius.) Interrogabit Teraphim (tertium divinandi genus. Poterat autem rogare domi suæ, cum membrum Atnach non necessario huc spectet) inspiciet jecur (potebat & hoc in templo vel alibi fieri, cum membrum Atnach non restringat h. l. membrum Sylluc sed peculiarem divinationis indiget speciem: de extispiciis autem aliàs notis hic dicere nil attinet. Syrus impertinenter vertit מן בשוכחה inspexit gloriam suam pro כבד jecur, legens כבוד gloria.) Porro Cæcodæmonem se insinuasse in TERAPHIM, quæ consulebantur, atq; in iis verba formasse & responsa jam vera, jam falsa, plerumq; dubia reddidisse tum ex Jud. XVII. haud obscure colligitur, tum evidenter probatur ex Zach. X. 2. ubi dicitur: התרפים רברו און Luth. Die Götzen reden eytel Mühe. Rectè Mercerus ad Gen. 31. ait: Non est dubium quin per ea, ut & in aliis Idolis gentium demones responsa darent: nam alioqui organis naturalibus destituta scimus loqui non potuisse.

TH. 18. Et hæc de TERAPHIM ex collatione locorum Scripturæ asserere certò possumus, de modo conficiendi, formulis consulendi, generibus responsorum, modo propagationis à Syris ad quosdam Ebræorum, inodo eadem venerandi & colendi, & si quæ sunt alia, malumus tacere & ἐπέχειν, quam sine fundamento plura dicere. Potuit equidem fieri ut gens Chaldæo. Syra Astrologicis vanitatibus deditissima in εἰδωλοποιήσῃ astrorum influxum observaret, certis ceremoniis & peculiaribus formulis Idola consuleret, diabolus vel disertis verbis vel nonnunquam aliter quoq; responderet, idololatræ haberent statas horas & certas leges Idola ista venerandi, sed quis quicquam horum indubitatò determinabit? Novimus interim TERAPHIM LABANI



Idola fuisse domestica, ex argento procul dubio, humana forma effabricata, quæ iste dubiis incidentibus consulere solebat. Possent etiam dici unicum modo Labani Idolum fuisse, uti TERAPHIM Michalis, cum nomen plurale tantum, habeat se ad significationem singularem & pluralem indifferenter (ut פְּנֵי de unius hominis unâ facie & de multorum hominum pluribus faciebus una terminatione effertur) sed faciliè permittimus, ut quilibet hic suo abundet sensu & iudicio.

TH. 19. Jam restat ut promissi nostri memores inquiramus in consilium Rachelis, quare illa TERAPHIM Patri suo surripuerit. Ubi rectè quidem Musculus: *De causa facti hujus non potest certi quicquam responderi, cum Moyses non doceat, quare hoc fecerit Rachel: licebit tamen dispicere, quænam conjectura sit probabilior & Scripturæ convenientior.* Deprehendimus verò apud authores quinque de Rachelis consilio opiniones. Prima est eorum, qui putant propterea Rachelem surripuisse TERAPHIM, ne Pater Idola illa inspiciendo vel consulendo, per quod iter Jacob abiisset, cognosceret. Ita R. Elieser in capitulis c. 36. לפיכך גנבתם רחל של יגורו ללבן שברח יעקב Propterea furata est ea Rachel, ne indicarent Labano, fugisse Jacobum. R. Aben-Esræ verisimile fit Labanum fuisse peritum astrorum, Rachelemque veritum, ne Pater inspiceret astra cognosceretve quonam fugerint. R. Albilda Comm. Philosoph. ad h. l. p. 99. ait: *Quod furata est Rachel Teraphim, causa fuit, ne auguraretur Laban & cognosceret iter ipsius.* A Judæis non dissentit Judaizans Tostatus ad h. l. Eademque opinio fit inter alias probabilis Jac. Bonfrerio in h. l. p. 260. *Secunda sententia est Fl. Josephi, qui putat Rachelem surripuisse Idola Patris, ut ad ea adversus parentis iram confugere posset.* Ita ille Αἰχολογ. l. 1. c. 19. *Sigilla verò Deorum secum ferebat Rachel: non quod Deos coleret, quorum contemptum à marito didicerat: sed ut si fortè Pater fugientes assequeretur, haberet, quò confugeret veniam impetratura.* Tertia opinio est eorum, qui existimant Rachelem à puellari ætate Idolorum cultui advetam nondum omne Idololatriæ studium tum ejurâsse, eaque cultus causâ suffuratam esse. Ita S. Chrysostomus hom. 57. in Genes. Genadius, Rupertus, Cajetanus & Hieronymus ab Oleastro in h. l.

nec



nec non Cornel. à Lapide cujus ad *b. l. p. 245.* hæc sunt verba: *Verisimilius alij putant eam Idola non tam Patris, quam sua, quasi Deos penates secum abstulisse, eò quod iis dedita esset ab iisq; felix iter omneq; bonum speraret, nam Pater Laban<sup>n</sup> ejusq; domus ac consequenter & Rachel cum D E O vero etiam Idola more gentis suæ colebat, ut patet c. 35. v. 2. ubi demum hæc Idola abolevit Jacob.* Consentunt ex Reformatis Joh. Mercerus ad *b. l.* Andr. Rivetus *Exerc. 133. in Gen. p. m. 517.* & alii. Ex nostratibus quoq; idem placet D. Sal. Gesnero ad *b. l. q. 3. p. 601.* D. Joh. Gerardo in *Gen. p. 592.* nec non D. Polycarp. Lysero cujus in *Jacobo s. ad b. l. p. 123.* hæc verba sunt: *Sed ex duobus hisce alterutrum erit. Vel quia ipsa adhuc Idolis erat addicta, abstulit ut haberet imagines, coram quibus cultum suum divinum exequeretur: Vel quia aurum adlubescebat, illa abstulit, ut auro vel argento rem suam faceret.* Quarta sententia est eorum, qui Rachelem sibi TERAPHIM (Idola scilicet aurea vel argentea) & pro mercede marito & pro dote sibi sororiq; sumsisse autumant. Id verisimile Pererio & Osiandro in *b. l.* Quinta deniq; sententia est, Rachelem hoc pacto Patrem ab Idololatria revocare voluisse. Ea mens Basilii *Init. in Proverbia,* Nazianzeni *Omt. 2. de Paschate,* Theodoreti *qv. 86. in Gen.* Lyrani in *b. l.* ut & D. D. Calovii *Disp. Anti Grot. in Genesin sexta.*

TH. 20. Ex his si aliqua accipienda, ultimæ sententiæ nostrum non dubitamus addere calculum, cum eam nullis videamus urgeri difficultatibus, quibus tamen priores non omninò videntur carere. Quod igitur ad primam opinionem, ea non probanda videtur. Nam Rachel veri cultus sectatrix scivit iter Jacobi DEI consensu imò jussu susceptum esse, DEUM quoq; Jacobi contra Labanum patrocinium suscepisse, id quod patet ex v. 12. 13. 16. non proinde credendum eam adventantem Labanum reformidasse. Præterea tantum Jacobi comitatum & tot greges celari non posse, sed ab hominibus locorum illorum, per quæ transferent, indicatum iri, quò vel quà ivissent, facile conjiciebat Rachel. Et proculdubio alia adhuc TERAPHIM illic loci in promptu erant, quæ Laban adire potuisset, quæq; non poterat surripere Rachel. Josephi sententia absurda videtur. Si enim Rachel Idolorum contemptum à marito didicerat, quodnam sibi sperabat refugium?



quodnam ab iis patrociniū? *Nec tertia sententia commodè stare potest. Neq; enim tum temporis Rachel cultrix Idolorum fuisse videtur. Verum DEUM invocasse, ab eo exaudita ejusque beneficium agnovisse legitur. Conf. c. XXX. v. 6. 22. 23. 24. & obedientiam suam erga eum λευκάδι Φωνῆ testabatur cap. XXXI. v. 16. Et quod si numinis quicquam τοῖς TERAPHIM inesse existimasset Rachel, num putandum, eam illa tam irreverenter tracturam fuisse, ut insideret iis simularetq; passionem menstruam v. 35. Consideretur & parrhesia ista Jacobi, quā usus nunquam fuisset v. 32. suamq; Rachelem presentissimo vitæ periculo exposuisset, si eam Idolis intentam adhuc & ad hujusmodi furtum proclivem scivisset. Neq; obstat reformatio à Jacobo instituta & descripta Gen. XXXV. v. 2. 3. 4. cum non nominatim ab uxoribus & liberis, sed à familia sua in genere dicatur Idola postulasse. Non repugnamus autem quosdam ex servis & ancillis ex Mesopotamia adductis pristini loci superstitiones retinuisse: vel potuerunt habere quasdam Idolorum reliquias non ad cultum, sed ad alios usus. Veritus autem Jacobus ne paulatim ad cultum adhiberentur vel iisdem offenderetur DEUS, etiam Idolorum materiam quamvis sine cultus opinione asservatam è medio tollere atq; extirpare voluit. Cornelio à Lapide respondet Bonfrerius his verbis: Porro quod aliqui velint non tam Patris sui Idola, quam sua, quod ipsa Idolis dedita esset, cepisse, videtur manifestè repugnare scripturæ hoc loco, quæ disertè tam in Vulgatâ, quam in Hebræo, Chaldeo & LXX. ea patris facit. Et verò si ea erant Rachelem, cur Laban rursus infra v. 30. ea vocat Deos suos? cur tam iniquè tulit ea sibi sublata? cur non statim suspicatus Rachelem abstulisse, si ea plus aliquid in ea juris, quam cæteri habuissent? Absurdum certè Rachelem sibi ipsi sua Idola suffuratam esse! Nec quarta deniq; sententia nobis se valdè commendat. Intellexerat Rachel jam pridem à marito DEUM abundè compensasse laborem ipsius & adversus Labanum judicium exercuisse, unde dixerat superius v. 16. Omnes divitiæ, quas eripuit Deus Patri nostro nostræ sunt & nostrorum. Et cur non quidvis potius arripuisset pro TERAPHIM illis. Sic enim Parentem rem subito resciturum facilè conjecturâ assequi poterat.*



TH. 21. Existimamus ergò maximè probabile esse, quod Rachel à Jacobo ad verum DEI cultum perducta & jam jam abitura *סגל* & pietate mota conata fuerit Parentem Idololatriæ ex parte adhuc immersum à cultu Idolorum abducere surripiendo materiam Idololatriæ, non aliter ac si furioso gladium eriperet vel igni pabulum subtraheret. Quæ in contrarium à diversis afferuntur facilè diluimus. Objicit Aben-Esra: *Si hoc esset, poterat ea in via abscondere aut in profluentem abjicere, ubi Euphratem transmiserant*, scilicet non opus erat servare ea per septiduum, seq; in præsens conjicere periculum, cum furtum à Patre facilè deprehensum iri nôset. Verum potuit Rachel asservare TERAPHIM, quod ex pretiosa constarent materia, auro vel argento, uti asserunt B. Lutherus, Pererius, Bonfretius, D. Gerhardus & alii, vel potius in rei testimonium, ut facti sui documenta marito demonstrare posset: tum sciebat Rachel intentionem suam optimam esse & se à DEO tutatum iri; nec forte DEI auxilio freta putabat Labanum se & maritum consecuturum esse. Objicit vir quidam doctissimus: *Non esse facienda mala ut eveniant inde bona.* Sed Resp. nos tantum judicare de Rachelis intentione, factum in totum non excusare. Peccasse eam contra secundam tabulam consentiunt interpretes. Optima intentione suscepta nonnunquam ex procedendi modo, gratiam amittere possunt. Objicit porro Mercerus: *Quasi alia sibi fabricari non potuisset, nisi forte præ avaritia nollet.* Ita & Rivetus. Sed utut alia facere potuerit, magna tamen illa & Patriarchalis anima (ita Rachelem Nazianzenus vocat) eo ipso demonstrare voluit TERAPHIM nec DEOS esse neq; Labanum tutari posse, quæ se tueri non possint, ne furto abducantur. *Sanè non absurdè cogitatur*, ait D. Gerhardus p. 592. *divinâ providentiâ hoc factum fuisse, ut Laban intelligeret, non esse Deos, qui furto auferri possunt.* Objicit etiam Wolfg. Musculus: *Et marito suo hæc de re significare debebat.* Et Rivetus: *Deinde si is ipsi propositus scopus, cur maritum celasset, quem noverat ab omni Idololatria esse alienum? Saltem id ei significasset in via & consulisset quid judicaret faciendum, postquam semel ablata fuissent.* Sed quominus cum Jacobo hac de re consultaret, obstabat præsens fuga, quæ



quæ non patiebat moram: sciebat Jacobum plurimis districtum  
curis, noluit proinde eum turbare, præsertim cum sibi persuade-  
ret factum suum ipsi minimè improbatum iri, & procul dubio  
postea Jacobo post Labani discessum severiùs inquirente rem  
totam exposuit. Potuit & fieri ut ob materiam privatis usi-  
bus servaret, vel si quid spectavit aliud, certum est intentionem  
ejus optimam & laudabilem, utut cum quibusdam imbecillita-  
tibus conjunctam fuisse. Sic nobis in præsentia non de jure, sed  
de ipso facto Rachelis, quædam addere placuit, quò sic præsen-  
tem de TERAPHIM tractationem jucundiorẽ redderemus, reli-  
qua, quæ circa Rachelis factum notari possint, ad forum Theo-  
logorum lubenter remittentes. Si in iis, quæ diximus, verita-  
tem, quam certè studiosè secuti, assecuti simus, DEO, qui ipsa  
veritas est, humillimas agimus gratias. Si à veritatis tramite,  
quod non speramus, discessimus alicubi, homines nos esse recor-  
damur & lectoris imploramus veniam, dicimusq; cum Augustino  
*l. 1. de Trinit. c. 2. & 3. Non me pigebit, sicubi hæsito, quærere:  
nec pudebit, sicubi erro discere; Quisquis hæc legit, ubi pariter  
certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat quærat mecum:  
ubi errorem suum cognoscit redeat ad me: ubi  
meum, revocet me.*

TANTUM.

תם ונשלם  
כבוד לאל בורא עולם





05 A 2095

ULB Halle

3

003 783 251




VOM











א.  
" כשש:  
DERTATIO PHILOLOGICA  
De  
**RAPHIM,**  
SIVE  
**LIS LABANI,**  
e Rachel suffurata  
legitur Gen. cap. XXXI.  
*Quam*  
D. T. O. M. A. *Perlagi.*  
n Incluta ad Albim Academia  
PRÆSIDE  
**GUSTO Pfeiffer**  
enburgo Saxone, h. t. Fac. Philos.  
Adjuncto,  
*Publica συμφοιολογόντων censura Gerspily*  
*ante hac exposuit*  
**FUS EBALDUS HERSENIUS,**  
Neohufanus Lavvenburgicus,  
S. M DC LXIII. d. VII. Martii.  
REVISA & SECUNDUM EDITA  
Anno S. M DC LXV.  
WITTEBERGÆ,  
Literis MICHAELIS Wendt.